


**05  
A  
490**



26

Eὰν ὁ Θεὸς χαίρει!

**DISCURSUS POLITICUS**  
*DE*  
**REPUBLICA**  
**IN GENERE;**

*Quem.*

*Divinā benignē adjuvante Gratiā,  
SVB PRÆSIDIO*

*VIRI plurimum Reverendi, Amplissimi & Excellen-  
tissimi*

**Dn. MICHAELIS WENDELERI,**  
**S.S. THEOL. D. & PHILOSOPHIÆ PRACTI-**  
**CA PROF. PUBL. Celeberrimi, Dni. Hospitis, Fauto-**  
**ris & Promotoris sui omni observantiae cultu æta-**  
**tèm prosequendi,**  
*Publicè discutiendum exhibet*

*In Electorali ad Albim Academiâ*  
**M. CHRISTIANUS FAELTUS,**

*Oberaviens. Misn.*

*ad diem 12. Septembr.*

*Horis matutinis in Auditorio Majori.*

\*\*\*\*\*  
**WITTEBERGÆ,**

*Typis Johannis Haken, M. DC. LX.*

86.

DIGITALISATION  
DIGITALISATION

A M I G U S

G E N O V E S E

G E N O V E S E

DIGITALISATION

88 58100





Σὺν θεῷ τίγασάτη

# Exlege Areopagitarum:

Ἄνδρας τελεομήνιος καὶ παθῶν.

## THEISIS I.

**D**E Republicā publicam impræsentiarum instituturi disqv isitionem , anteqvam in ipsius penetremus adyta & abdita , pauca qvædam de τῷ ὄτι ejusdem hīc in frontispicio annotabimus. Ita enim , Philosophorum Promachus , Aristoteles lib.2 poster. Analyt.c.8. scribit : Τὸντεῦν τί εἶπι , μὴ εἴχοντες , ὅτι εἴπι , μηδὲν ξητεῦν δέ , h.e. qværere , quid sit , cùm ignoretur , qvod sit , nihil est qværere . Quapropter à Qvæstione an sit rem meritò inchoamus præsentem.

THES. II. Dari autem Rempublicam , probamus nos [1] Ex Civitatis existentiâ. Civitas enim , communi Philosophorum consensu , Reipublicæ Subiectū & materia est , in qvā introducitur . Jā verò , si Subiectū hoc datur , inq; illud Respublica introducitur , sequitur , Rempublicā etiā dari ; alias introduci nō posset . (2) Ex partium constituentium sufficientiâ. Partes a. , qvæ Rempublicam constituunt , sunt : Imperantes & Parentes , sive , Magistratus & Subditi . Datis igitur hisce , datur etiam Respublica . (3) Ex communi experientiâ. Experimur enim quotidiè , ubi cunq; etiam vivamus , qvod sit Respublica . Habet illa suas o-

perationes adeò manifestas, ut qvilibet eas non minus apud se, qvam apud alios videre & sentire possit facile. Qvare neminem à d'ōs ὅντες δύο νόη deturbatum existimabimus, qui res, in ipsos sensus incurrentes, dabiles non esse affirmare mordicusque defendere vellet.

THES. III. Declaratā qvæstione an sit, ad qvæstionem qvid sit nunc progredimur. In hac autem ipsa Definitio rei, utpote qvæ in meliorem ejus nos deducit cognitionem, proponenda venit.

THES. IV. Qvoniam autem rerum omnium, qvæ definiri possunt, duplex (svadentibus ita Logicæ Magistris) adduci debet Definitio, una, qvæ Nominis naturam explicet, qvam Nominalem vulgò vocant: altera, qvæ rem ipsam proponat, & Realis alias appellatur; utramqve & nos secuti corumi vestigiis hic loci adducemus

THES. V. Fiat ergo à Nominali exorsus. In qvâ tria hæc explicanda habemus (1) Οὐομαζλογία. (2) Οὐονυμία. & (3) Σωστρούμια. A vocabulis enim semper auspicandum est, ut subtilissimus Scaliger in Exerc. 359. præcipit; qvia, licet conceptum quidditativum rei non exprimant; illorum tamen cognitio ad rerum intellectionem plurimum confert, siqvidem in his, veluti τὸ καθέπτω, rerum sapissime adumbratur natura. Hinc etiam primo loco vocis ἐρμηνεία, ne δύο τῆς θύεσς videamus aberrasse, nobis explicandam præmanibus sumemus.

THES. VI. Fluit autem vocula Objecti nostri à Re & publico. Sed rei appellatio ad imperium aliquod, ut Busius lib. I. de Republ. c. 2. statuit, nō restringenda tan-

da tantum est, sed adeò latè accipienda, ut res, Personas & ipsas etiam actiones includat, qvemadmodum ex Tholos, lib. 1. p. 1. Clariss. Christian. Matth. in Collegio suo Politico disp. 5. p. 53. docet. Publicum verò à populo dictum putamus, ut sit quasi populicum, qvod ad omnes de Populo spectet, sicuti Cicero lib. 3. de Republ. explicat. Assabré ergò, rerum ille divinarum Mystagogus, Augustinus lib. 2. de Civit. DEI c. 12. hanc in rem scribit; dicens: Respublica, res populi est.

THES. VII. Hæc de Οὐομαζλογίᾳ. Ordine nunc sequitur Homonymia, cui etiam implicata Respublica est. Cùm autem τῶν ἡ πολιτικῶν λεγέμων ἀσαφές, (verba sunt Philosophi,) & ambiguis qvi ludunt, qvæ specie suâ facillimè & non animadvertendo ferè fallunt, in aureo poculo, liceat ita cum Stengelio rhetorici, venenatum tibi propinent merum; nostrum idcirco thema, ut ex ἀσαφέσεργο σαφέσεργο faciamus, ab iis, qvibus premitur, ambiguitatibus liberaturi sumus.

THES. IIIX. Sumitur [1] Respublica in sensu generali, pro integro imperio, Regno, Provincia & natione, & dicitur corpus quoddam Politicum plurimas gentes unâ pariter potestate coercens. Hinc dicimus Rempublicam Germanorum, Romanorum, Græcorum &c. Nam magnum imperium recte magna Respublica nominatur. [2] in sensu speciali, pro ordinazione s. regimine alicujus civitatis. Arist. lib. 1. Politic. c. 4. Et sic iterum accipitur vel materialiter, vel formaliter. Materialiter, quatenus est materia aliqua, in quam formâ quædam vel certa ejus species, sive sit

A 3

Monar-

Monarchia , sive, Aristocracia , sive Demiocratia intrudi potest. Formaliter v. quatenus est ordo s. regimen Politicum , per quod ordinatur cœtus hominum ad honestatem s. civilem societatem . De quâ formalis acceptio in tota hâc disceptatiunculâ unice nobis sermo est; siquidem in ideâ quasi, præscindendo ab omni determinatione , Rempublicam considerare volumus.

THES. IX. Synonymiam quod concernit, variis ab utriusque lingvæ , tām Græcæ , qvām Latinæ cultoribus effterri Respublica solet. Græcis vocatur πολιτεία , ut ab Arist. lib. 3. Polit. & passim alibi. A Platone v. nominatur ὁρθὴ τῆς πόλεως διοίκησις, κατάστασις. Latini , ut Cicerolib. 3. ad Q. Frat. Epist. 5. Rectæ civitatis constitutionem, Regimen Politicum , ut Thom. Aquin lib. 1. Polit. alii aliter appellare conservaverunt. Plura qui desiderat nomina & encomia , libros modò Politorum evolvat, in quibus ad satiem ea inveniet. Sufficiat aliqua hîc adduxisse, ne penitus ea videamur omisisse.

THES. X. Nunc ad βεισμὸν τεργυματῶδη faciundū nobis accessus est. Iste enim perfectum cognoscendi instrumentum est, Arist. lib. 6. Topic. c. 1. eoqve nihil ad rem probandam & demonstrandam clarius. Quapropter Rempublicam nostram ita definimus : Respublica est ordo Civitatis & quidem Magistratum quorumcunque , maximè v. potestatis supremæ , à quâ per Magistratus medios in universos subditos gubernatio fluit.

THES. XI. In hâc Definitione duo se nobis offerunt conceptus : Unus est determinabilis & latior, qui sub

sub Genere comprehenditur : alter determinans ;  
quidditativus, adæqvatus & strictior, qvi in Differen-  
tiâ qværendus est. Utrumqve explicabimus.

THES. XII. Priorem conceptum nempe latiorem  
qvod attinet, Ordo ille dicitur. Ne autem vocis hujus  
nobis imponat ambiguitas , dicendum ante omnia  
est, qvalis Ordo hic intelligi debeat. Non ergò intel-  
ligitur ordo Physicus & naturalis , in loco & numero  
consistens, perinde ac si Domus ordine collocatę Rem-  
publicam constituerent ; sed Ethicus & moralis, qv i in  
prudentiæ, justitiæ aliarumqve virtutum administra-  
tione apparere debet. Hunc Genus Republicę con-  
stituimus.

THES. XIII. Et qvòd Ordo hic legitimo gene-  
ris officio defungatur, non tantum essentialis ejusdem  
competentia , sed prioritas etiam atqve latitudo com-  
probant. Qvicqy id enim de Republica Synonymicè,  
essentialiter & in qvid prædicatur , ita tamen , ut ipsâ  
Republicâ latius sit , & prius etiam ( prioritatem sub-  
audi non causalitatis , qvâ causa interna & externa pri-  
or dicitur causato ; nec temporis , nec dignitatis ; sed  
cognitionis , qvâ universalius particulari prius est ) il-  
lud etiam ejus Genus est. Atqui de Ordine verum pri-  
us est. E. & posterius. Majorem nemo in dubium , op-  
inor , facile vocabit. Nititur enim requisitis ipsius Ge-  
neris. Minor v. probanda est , & qvidem [i] qvòd or-  
do Republicâ latior sit , qvia de pluribus adhuc , qvâm  
Republicâ prædicatur . Potest enim prædicari de ag-  
gregatis ordinatis , ut: de Exercitu , Magistratu liisqve  
rebus , qvæ ordine disposita sunt. Istud a. cum Repu-  
blica

2117

blica facere non possum. (2) Qvōd Ordo etiam ipsa  
Republica prior sit, probatur, qvia notior est. Jam  
v. qvæcunque sunt notiora, illa etiam priora sunt, pri-  
oritate scil. (ut anteà diximus) cognitionis, qvam po-  
tissimum hic loci respicimus, & qvæ priora sunt, illa  
etiam magis universalia sunt. Universale a. particu-  
lari prius est, quia particulare in se comprehendit.

THES. XIV. Rempublicam a. reverâ ordinem  
ſ. ordinationem esse, nihil n. interesse putamus ſ. & ζιν  
interpretetur per ordinem ſ. per ordinationem; u-  
trumque vocabulum designat legitimam constitutio-  
nem civitatis in ordine consistentem ) probant seqvē-  
tes rationes : (1) Qvia Civitatem ſ. potius cives in ordi-  
nem redigit. Hic enim si abefset, in cœtu civium me-  
ra eſſet ἀναρχία καὶ ἀζείᾳ, qvæ felici cōcordiq; vitæ ma-  
ximè repugnat. (2) Qvia non vagam & vanā unius o-  
pinionem, ſed civile consortium consenſumque pru-  
denter reqvirit. (3) Qvia deniqve in ordinata Imper-  
rantium & parentium χέσται ſ. respectu mutuo conſi-  
ſtit, maximè verò eorum, penes qvos eſt ſumma ma-  
jestaſ. Hanc ζιν nunc ſi qvis tolleret, medius fidius  
ipſum regnum tolleret, & ut Lucretius lib. 5. canit ;  
— — — subversa jaceret

Pristina Majestaſ ſoliorum & ſceptra ſuperba.

Sicut enim legio hominum in campo Martio ſine  
ordine mera confuſio eſt ; ita etiam Republica,  
ordine priva ; candem namqve deſubito temporis  
injuriam qvasi ventum folia, aut peniculum tectori-  
um diſflare neceſſum eſt, uti ita jocatur decima illa  
Musa Plaut. in Milit. Glorios. Act. I. Sc. I. v. 18.

THES.

**T H E S. XV.** Pergendum quidem nunc esset ad Differentiam ; sed Bodinus negotium nobis adhuc circa Genus nostrum facessit. Definit nēpe Rēpublicā, qvod sit familiarum rerumque inter ipsas communium summa potestate ac ratione moderata multitudo. lib. i. c. 3. de Republ. Verūm falsa est hæc Definitio, qvia fieri facile potest , ut multæ dentur familiæ , ubi tamen nulla Respublica. Hæc enim non constituitur per familias , sed per ordinem & per leges , quarum sanctionibus subnixa sanctum Reipublicæ nomen obtinet. Ita multitudinem , neglecto ordine , loco generis non agnoscimus. Quomodo enim multitudo , ut ens aliquod aggregatum in Definitione loco generis stare possit ? cùm à Prædicamentis , ex quibus alias omnia desumi genera debent , excludatur. Haec tenus ergò Definitio Bodini non procedit , nec toleranda est.

**T H E S. XVI.** Tantum de Generi. Qvandoquidem autem Conceptus genericus obscurè nimis & imperfectè rei essentiam declarat , nisi succenturiatas ei præstet operas conceptus specificus s. determinans , laxū nempe ac latè patens Genus ad unam aliquam rem solam restringens ; propterea istum conceptum statim subiuncturi sumus.

**T H E S. XVII.** Desumtus autem ille conceptus differentiæ est. (1) A Forma , qvod sit Ordo ; ita tamen , ut non generaliter , sed specialiter , spectetur. [2] A materia , qvæ vel est generalis , Civitas nempe , qvia dicitur ordo Civitatis , qvæ per se spectata se habet ad instar indigestæ ac confusæ molis : vel specialis , qvod sit Ordo magistratum qvorumcunqve , cùm à potiori

B

deno-

de nominatio communiter fieri soleat: vel specialissima; quæ triplex, tūm Majestas s. potestas suprema, tūm ea sit fons & causa omnis in Republ: ordinis; tūm Magistratus intermedii, qvi sunt potestatis supremæ instrumenta in Reipublicæ constitutione necessaria, & vocantur alias Officiales; tūm Subditi, qvi gubernationem recipiunt. (3) A fine, qvi est gubernatio. (4) A gubernationis modo, quod à summa Majestate per Magistratus intermedios in universos subditos gubernatio fluat.

THES. XVIII. Hęc generalis Reipublicæ consideratio fuit, sequitur nunc specialis, quæ in causarum ad eūs σύστασιν seu constitutionem concurrentium explicatione consistit. Cūm verò causarum aliæ ipsam constituent & ingrediantur rei essentiam, ejusq; partes essentiales vel constitutivæ evadant, ut internæ: Materia & Forma: aliæ extra rei γρίαν maneant extrinsecusque producant effectum vel seqvantur, ut: Efficiens & Finis. Eas primò contemplabimur, postmodum illas etiam perscrutabimur.

THES. XIX. Qvod igitur causam Reipublicę efficientem attinet duplicem eam asserimus: Principalem, quæ ωράτως & per virtutem principalem influit in Reipublicæ productionem: Et minus Principalem, cū τῆς πολιτείας γένεσι secundarias sibi partes vendicantem.

THES. XX. Principalis Reipublicæ causa se dispergit iterum in Universalem & Particularem: Quantum illa multorum effectuum communis causa est; Hęc contra unius. Universalis, si causandi spectemus ordinem, vicissim duplex est; ωράτη s. Prima, &

Deutēgo

*Deutēga s. secunda. Illa summam in causarum ordine locum habet, qvæqvc cæteras inferiores omnes movet; Hæc à primâ tūm cū τῷ εὐαγ., ὑπάρχειν καὶ περίτελον dependet.*

THES. XXI. Causa Reipublicæ Universalis prima Deus ter Opt. Max. ille *āu&gūs* est. Qui, uti omnis boni fons & origo est; ita etiam omnis boni ordinis Autor & Conservator. Qui Respublicas inter gentes & populos constituit, constitutas propagavit, propagatas in hunc usque diem sartas conservavit. Per hujus ordinationem Reges mundi regnant Prov. 8. v. 15. Id quod etiam ipse Nabuchodonosor, quātumvis Ethnicus, profitetur, quando ad Danielem, qui cum antè Regē Regū vocarat, ita loquitur: ô Danīcl, verè Dcūs tuus est Deus Deorum & Dominus Regū, qui regna tradit quibuscumque vult. Dan. 2. v. 37. c. 4. v. 14.

THES. XXII. Et hoc immoto innixi fundamento, non est, ut cedamus Cardano, qui Respublicas à Fato & extremâ stellâ caudæ Ursæ Majoris dependere nugatur: nec aliis signis cœlestibus, aut Numeris Platonis Reipublicæ originem tribuamus: multò minùs, ut credamus, Respublicas à DEO irato, ut essent maledictio quædam s. justa peccati pœna & primævæ illius libertatis labes ac diminutio, ut nonnulli somniarunt, constitutas & introductas esse. Si enim hoc concederetur, inquit Danæus lib. 1. Polit. Christ. c. 4. tot essent maledictionis Dei testimonia, quod inter homines Regna Resve publicæ constitutæ nunc apparent vigentque; nisi quis, ut explicat Timpler. lib. 1. Polit. c. 3. quæst. 10. per Respublicā intelligere velit Politiam

litiam s. Dominationem in statu Tyrannorum , cui  
multi populi ob sua peccata sunt subjecti.

THES. XXIII. Particularis v. Reipublicæ causa  
sunt ipsi homines , qvi vel naturæ instinctu , vel aliis  
causis externis adducti Rempublicam primitus con-  
stituere. Homo enim à natura ζωον πολιτικόν animal  
sociabile est, cùm in eo sint Zopyra qvædam æternita-  
tis , ut aliger ille Scaliger alicubi loqui amat, h.e.prin-  
cipia practica,qvibus fertur ad societatem Politicam.  
Unde etiam modò dicto Autori hominem ab ὁμῷ, si-  
mul, qvod nempe simul cum aliis vivere debeat , deri-  
varelibitum est.

THES. XXIV. Qvando autem & quo tempore  
inter homines Politia orta sit , variæ apud Politicos  
reperiuntur opiniones. Petrus Gregorius Tholosanus  
lib.19.de Republ.c.i. sect.2. statuit , statim cum Adamo  
Politias cœpisse , primumq; Monarchā eū constitutū  
esse. Fundamenta suæ assertiones sunt sequentia,(1)qvia  
Deus Adamo animam rationalem indidit , & creavit  
eum ad imaginem suam , ut aliis possit dominari. (2)  
qvia Gen. i. v. 26. dicitur , qvod Adamus præesse de-  
buerit piscibus Maris & volatilibus cœli , & bestiis u-  
niversæ terræ. & v. 27. qvod Deus universa animantia  
illi subjecerit.(3)Ex Eccleſ.7.Ubi dicitur , qvod , cū creas-  
set Deus hominem de terrâ , numerum dierum & tem-  
pus dederit illi , potestatemque eorum , qvæ sunt supra  
terram. Verū breviter Resp. Tholosano , si mate-  
riale Rerumpublicarum intelligit , largiter largimur ,  
qvod illud cum Adamo cœperit ; Si v. Formale , h.e.,  
ipsum ordinem civilem , strenuè negamus. Cœpit  
enim cum Adamo potestas tantum naturalis , non a.  
civilis.

THES.

THES. XXV. Nos verissimam eorum' existimamus sententiam , qvi cum Nimrodo Resp. cœpisse asserunt. Legitur enim Gen. 10. qvod Nimrod cœperit esse potens in terra , & qvod ejus regnum fuerit Babylon & Assyr. Verisimile igitur omnino est, eum primum fuisse Monarcham, cò qvod dicitur , ipsum cœpisse in terra esse potentem , cùm ante Nimrodum & extictionem turris Babylonicae nullum tam potentis Republicæ vestigium ullibi legatur.. Bodin, lib. 2. de Republ. c. 2. p. 26. Sleidan. lib. I. de quatuor summis Imp.

THES. XXVI. Cùm itaque dictum sit, à Nimrodo potentem Remp. cœpisse, ulterius progrediendū nunc est , & dicendum , qvī postmodum homines Républicam propagarint & cœtus suos instituerint. Ubi causas ~~κατα~~ συμβεβηκός externas & accidentarias expōnendas habemus.

THES. XXVII. Prima erit Religio. Sic enim Stigelius ait :

Utque alios alii de Religione docerent ,

Contiguas Pietas jussit habere domos.

Religio enim & Pietas omnium Rerum publicarum firmissimum fundamentum est, teste insigni illo Eloquentiæ Scriniario Cicer. pro Cn. Planc. Huic succedit Indigentia loci. Cùm n. homines hinc inde dispersi in speluncis montium habitarent primitūs, nec omnia ad vitæ sustentationem necessaria haberent , cā indigentia compulsi instar aquæ confluxerunt, ut ope mutuâ faciliter ea conseqverentur, qvibus indigebant, qvia nemo sibi ~~αὐτοκράτορες~~ θεος έν ζην ad bene vivendum sufficiens est. Tertiò Musicam etiam nonnulli

inter causas καὶ συμβεβηκός referunt dicentes, quod  
hujus beneficio Orpheus homines consociare fecce-  
rit. Adducunt pro sententiâ suâ stabiliendâ Horati-  
um, qui in Arte Poetica ita poëtatus est.

Sylvestres homines sacer interpresque DEorum  
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus.

Alii alias adhuc proferunt causas externas, quibus ho-  
mines consociatos esse demonstrant; nos in adductis  
acquiescimus.

THEs. XXVIII. Pergimus nunc ad alteram Re-  
ipublicæ causam externam, Finalem sc. Duplicem a.  
hic habemus finem, unum Universale, Particularē  
alterum. Universalis est Gloria DEI, centrum illud  
& scopus ultimus omnium cogitationum, dictionum  
& actionum nostrarum. Particularis vero iterum  
duplex est: vel Principalis, ut: Ἔ κοινὸν συμφέρει, com-  
modum publicum vel salus populi, quæ suprema lex  
esse debet, ut cives in eâ bene ac beatè, quantum fieri  
potest, vivant. Istud enim verus Reipublicæ finis est,  
eamq; summè perfectam facit: vel minus Principalis,  
qui àὐτοκρεια est, rerum ad vitæ sustentationē necessaria-  
rum affluentia, quam ut ministram ad edendas perfe-  
ctas actiones morales, in quibus sc. bonum publicum  
est radicatum, accersimus. Prior tamen finis semper  
prævalere debet, quia imperans cogitare debet: non  
suam esse Rempublicam, sed se Reipublicæ. Id quod  
etiam Principes nostri observarunt, dum pro Symbo-  
lo usi sunt: Aliis inserviendo Princeps consumitur, i.e.  
mitati Alphonsum, cuius symbolum erat: Pro lege &  
pro grege.

THEs. XXIX. In proscenium jam veniunt causæ  
inter-

internæ & constitutivæ, qvæ materia & Forma dici solent. De materia supra dictum est, qvod Civitas sit, vel, omnes homines alicujus potestati subjecti. Quotnam a eorum ad Rem publicam constituendam pertineant, licet hic nobis dispiciendi locus non sit, certum tamen est, unam domum familiam vñam ejus essentiam non posse extruere, sed requiritur multitudo domorum & familiarum Keckerm. in Polit. p. 7. Qvamobrem M. Crassus, licet 400. aut plures servos habuerit (Plutarchus in vita Crassi,) non tamen Rem publicam habuisse dicendus est.

THES. XXX. De Formâ etiam pauxillum actum & factum est, qvæ est Cœsis imperantium & obedientium. Hæc enim fundameti vice in Reipublicæ structurâ semper fungitur. Qvæ nisi adesset, infesta atq; infesta Reipublicæ esset cōditio. Ruerent omnia, si nō hoc firmamentū subesseret: disfluerent omnia, si non hoc coagulum prohiberet. ut Sol ille & Sal literarum Lipsius lib. 2. Civ. Doctr. c. 1. §. 6. loqui amat. Unde nunc colligere qvilibet de facili potest, qvām necessaria sit hæc dispositio. Ista enim vinculum est, per qvod Respublica cohæret, qvæ si subtrahatur, nil nisi onus & præda Respublica futura est. Seneca lib. 1. de Clementia.

THES. XXXI. Atq; ita Reipublicæ naturam pro ingenii nostri sterilitare adumbravimus. Restarent quidem adhuc multa, qvæ ad hujus materiæ illustrationem pertinerent; nostrum v. non est extra cuticulam nostram evagare, & cornua extra testam longius ostendere; metuendum enim ne conterantur. Filum ergo nostrum, crassum intellige, hic abrumpimus. Si qvid erratum, non transgredimur humanæ sortis carceres: si qvid omisum, illud à Doctioribus in discursu suppleri exoptamus. Interim censores memores istius Horatiani:

Dent veniam maculis, qvas aut incuria fudit,  
Aut humana parum cavit natura.

Δέξα Θεῷ μάνῳ, οὐώ, καὶ τρέψατο τρώ!



**P**ublica quid res sit, quid non sit, doce **FASCIER**,  
Publicus dicis, publica & inde venit  
Laus Tibi. Congratulor, precor, & *Respublica* tandem  
Præmia pro studiis det Tibi digna Tuis!

*Ita Clarisf. Dno. Respondenti  
gratulatur*

**Conradus Victor Schneider,**  
Phil. ac Med. D. P. P. ac Celsiss.  
Princ. Anhalt. Med.

---

*Ad Clarissimum & Per-Eximum*

## **DN. RESPONDENTEM,**

Fautorem & amicum per dilectum.

**S**ollicitat turbam dum sordida cura tepentem,  
Degeneres animas singula vota trahunt.  
Tu magis assurgens quid res sit *publica* tradis,  
Solaqve quam pergit mens generosa viam.  
Consilium laudo; dignam conamine famam  
Gratulor, ut nunquam sit sine laude labor.

**M. Johannes Michaël Strauß**  
Coll. Phil. Adjunctus & p. t.  
DECANUS.

---

*Ad Clarissimum DN. RESPONDENTEM.*

**N**Osse Reipublicæ naturam haud ultima laus est,  
Nec nisi Castaliæ strenuitatis opus.  
Ergo nec immerito Tibi partes deligis istas,  
Dum genii publicè scita pericla facis.  
Artificem commendat opus, modo perge, coronas  
Plures certanti fama secunda parat.

*gratul. scrib.*

**M. HEINRICUS Baumann**  
Fac. Phil. Adj.

22880

05 A 490



SB

DA





**FarbKarte #13**



86

Eἰν ὁ Θεὸς Φιλρέπη !

**DISCURSUS POLITICUS**  
*DE*  
**REPUBLICA**  
**IN GENERE ;**

*Quem.*

*Divinâ benignè adjuvante Gratiâ ,  
SVB PRÆSIDIO*

*VIRI plurimum Reverendi, Amplissimi & Excellen-  
tissimi*

**DN. MICHAELIS WENDELERİ,**  
S.S. THEOL. D. & PHILOSOPHIÆ PRACTI-  
CÆ PROF. PUBL. Celeberrimi, Dni. Hospitis, Fauto-  
ris & Promotoris sui omni observantia cultu æta-  
tem prosequendi,

*Publicè discutiendum exhibet*

In Electorali ad Albim Academiâ  
**M. CHRISTIANUS FAELTUS ,**

Oberaviens. Misn.

*ad diem 12. Septembr.*

*Horis matutinis in Auditorio Majori.*

WITTEBERGÆ,

Typis Johannis Haken, M. DC. LX.

86.